

OK. 371

Ze  
3400

Imbecillitatem

# SCHOETTGENIO

Humanam

in

## Commentatiuncula seu

schedula scholastica

obviam

ostendere fategit M. Canicius.

---

gedruckt zu Halle.



Ca. 1728



P. 3.



Ræceps consilium sequi & minus considerate negotia administrare, tum vero negligentem esse, tumultuariaque opera edere commentationes, ad quas tamen componendas opus erat magna industria, ac prope singulari labore, extremæ incitiæ, non dicam, imprudentiæ est. Atque ita ne nunc quidem cessant, Viri magni nominis, magnæque, quam sæpe affectant, eruditionis, Programmata, schedulas, commentatiunculas, quemadmodum ipsi appellitant eas, typis imprimere; ac si bene actum videatur, pollicitando majora, quæ quidem mox subfutura essent, erudito literarioque orbi fucum facere, quo deinceps, reliquis, quorum reditus ex informationibus privatis magno cum sudore congeruntur, contemtim habitis, Monopolium informationis constituatur. Uteunque sit, bone lector, Virum, cujus scriptum mox intuebor, Honorificum, arbitraberis, hoc vitio a me exemptum iri, modone hoc superesset, nullam ferme periodum præterire, quæ minus ejusdem imbecillitatem humanam ostendat. Nolo vero præfatione multate detinere, lector, sed quid hic factum opus sit, brevibus indicabo. Scholæ cuidam illustri, nescio quod nomen, Rector quidam inauguratus fuit. Quemadmodum fere moris est, ut in aditu consvescant aliquid singulare edere, ne quid Fama aut eorum eruditio detrimenti caperet; ita nec a scribendo, quantumvis infelici ausu, is abstinuit. Inclaruisse hunc, jam ajunt, multis speciminibus, cui etiam haud difficulter assentior rei, egit enim in Pomerania, nisi fallor, Professore. Celebre enim iis in scholis est ac usitatum creare scholæ Doctores Profesores. Neque id immerito: erudire enim juventutem in doctrinis & scientiis, præsertim eo tempore, ubi studia elegantiora suum pristinum nitorem penitus amississe videntur, summi ac prope divini operis est. Quamvis autem Vir Clarissimus mihi non innotuerit, de quo tamen vehementer doleo, & ne nunc quidem ipsum noscam; constat tamen inter omnes, suæ scholæ magna cum diligentia & dexteritate præfuisse. Is divulgavit scriptum, seu commentatiunculam, rectius tamen si schedulam nominasset, commentationes enim scribere, est aliquid singulare audere. Primum igitur ut præteream, statim ab initio repræsentare se nobis contradictionem; dum scribit: *Scholas, quas nemo sana mente præditus unquam culpaverit, vulgato sermone à plerisque tamen contemni*; id mirari satis non potui, quare rem tam vilem, nullius rei aut usus ad tractandum sumferit, ac si ipsum copia materiei Scholasticæ defecisset. Nam quem penes auctoritas Famæ ac nominis, is non nisi degravibus scribat, cui autem eruditionis laus est, vel aliquid novi tradat, vel inventis aliquid addat, vel tandem

P. 4.

tandem vetera cum novis combinet, necesse est, sed hic fere nihil nisi, quod tamen omni modestia dictum volo, vulgare conspiciatur. Quis enim p. 5. est, qui nesciat? libros Scholasticos non esse mere Scholasticos; quid officeret, si id quis iret inficias? Si quis præterea id autumaret, judicarem, eum eo minus errare in sua opinione, quo magis constet; Salsamium virum eruditissimum (quantumvis prope omne quod humaniorum aut rei literariæ nomine venire potest, lætitarit, Grajos Latinosque scriptores peragravit) in causa tamen dicenda pro Rege Angliæ extitisse mere scholasticum ac hominem Platonium, adeo, ut palam fieret: adversarium Salsamii Miltonum pessimam causam optime, hunc vero optimam pessime defendisse. Hic Anglus in imperiis ac judiciis versatissimus indicavit quantum discriminis interesset inter scientiam scholasticam ac politicam. Nam meo iudicio is vehementer hallucinatur, qui Politica, modumque gerendi rempublicam sola auctorum lectione metitur. Quamvis autem inficiandum non sit, lectionem auctorum imprimis Taciti & Historicorum, callenti jam res politicas esse adminiculo; naturalis tamen indoles, experientia, instructio singularis ac commercium cum viris politicis, imo professiones extræ, sunt optimi politiæ magistri. Sistas tibi, quisunque tandem sit, tersum scriptorem Gallicum Cominæum, qui admirandum in modum conscripsit de rebus gestis Ludovici undecimi Regis Galliæ commentarios itidem Caroli Burgundiæ Ducis potentissimi, bellum Neapolitanum, sistat, inquam, & ponderet Sleidani in ejus libros præfationem: is sane pronuntiabit: multos felicissime gubernare imperia, qui Scholasticos raro aut nunquam habuerunt in manibus. Namque ipse Cominæus, quantumvis ineruditus æducatus tamen in aula Burgundiæ, Ludovici, personam suam ita egit ut prudentia, nemini, rebus expediendis, capiendisque consiliis cesserit. Cujus quidem libros, imprimis Commentarium de Ludovico, si quis generosorum juvenum lætitarit, is, si centies Ciceronis opera evolveret, sudaretque in iis, eam sibi non compararet utilitatem, quam vel ex una lectione hujus elegantissimi scriptoris caperet. Quare Sleidanus perdiligens rerum Germanicarum scriptor hunc libellum latinitati reddidit, quo generosi, si minus delectarentur Gallica, dictione tamen latina legerent. Id non ideo dictum sit, ac si asperner auctores, ab ineunte enim ætate & legi, & nunc cum voluptate quadam incredibili eos lædito, sed quo aperiã præpositam esse institutam a Domino Rectore quæstionem. Hæc sunt relinquenda cuius iudicio, utrum quis Viros de-Schola, quæ distinctio fortifican Johannea est, nuncupet, nec ne, modo ne sint de lana caprina. Ut taceam, sibi ipsi adversari, cum pronunciet: *Cæsarem, eo tempore, quo quidem imperatorem egisset, inter arma in castris de Analogia sermonis la-*

*ini sollicitum fuisse.* Deinceps vero si quid vulgarius, id certe adduci  
 fas est : Ciceronem Consulem antistare magnificentia & splendore re-  
 liquis consulibus nostrarum civitatum. Eam certe Philosophiæ partem  
 si quis adferret, non minoris faceret, quam si quis Ennium Romam de-  
 duceret. Et quæso quid dictum hoc ? *vulgo Ciceronem haberi oratorem ?*  
 quid ni sic vero ? Nam cum Cicero seipsum appellitet oratorem, factus  
 in officiis lib. 1. cap. 1. in eo studii genere consumsisse ætatem suam ;  
 p. 7. injuriam aliquis ipsi inferret, si de laude oratoria quicquam detraheret,  
 Sed quid multa ? distingvit ac commentatur : *Esse magnam differentiam*  
*seu discrimen inter oratores Romanos ac nostros, eumque morem ferme con-*  
*sensuisse, nostra enim atate libellis scriptis agi. Atque ita invehitur in Juris*  
 consultos. Nec id quidem satis recte. Adeat modo Angliam, ibi in  
 consiliis seu Parliamentis audiet magna cum admiratione præstantissi-  
 mos & oratores & Declamatores & Patronos causarum : adeat Batavi-  
 am, quæ deploravit & jam nunc deslet obitum Pensionarii Hoornbe-  
 ckii patroni eloquentissimi. Adeat Galliam, quæ alit multos Oratores :  
 olim admirata fuit J. A. Thuanum Parlamenti præsidem differentem  
 de rebus forensibus modo fere Romano. Credo etiam eum modum  
 dicendi iis in locis fuisse retentum propterea quod olim sub ditione ac  
 imperio erant Romanorum, audiebanturque provinciæ Romanæ. Osten-  
 dit etiam id conjunctio arctissima Gallicæ lingvæ cum latina. Imo do-  
 micilium Præstantissimorum virorum, venusta Dresda gaudet fere in  
 omnibus collegiis oratoribus incomparabilibus, & ipse memini audisse  
 me in toga Virum Celebrem & Magnum differentem tanta cum gravi-  
 tate, copia ac puritate sermonis, ut omnium oculi, & aures in ipsum  
 essent conversæ ! Ut præteream, non parum errasse in hoc, quod as-  
 severarit : *Ejusmodi orationum genera non superesse, & si nihil de iis, su-*  
*peressent tamen Livii.* Quælicet pro rostris non habitæ sint, spectant  
 pleræque ac sapiunt forensium modum. Ne quid dicam, quod unam  
 rem ad nauseam usque repetierit parum sui memor. Si quando igitur  
 p. 8. de Poëtis Viro Clarissimo sermo est § 3. nec quidem hoc sufficere  
 adduxisse : *Poëtam non fingendum hunc, qui cognata ingenii felicitate car-*  
*men effundat &c.* Cum tamen Poësis ad nos cœlitus demissa præcipue  
 requirat ingenium venustum & aptum ad ejusmodi humanitatem, unde  
 Poëtæ quodam modo nasci ac divinitus ferri dicuntur : Nec minus est  
 opus judicio acri atque subtili, quo sine difficulter aliquis decorum il-  
 lud quod Græci *πρότυπον* appellant, consequi accurateque discernere po-  
 terit. Homines autem ingenio destitutos illud consolari debet, quod  
 non futuri sint prorsus inepti ad sententiam ferendam de Poëtis, si mo-  
 do judicio valeant. Ne id quidem ægre ferre debent, si, interjecto  
 aliquo

aliquo tempore, multum facultatis sibi decessisse sentiant. Fervor enim ille quo juvenes imprimis excitantur, quodam modo instaurari potest crebra lectione Poëtarum, ad quos subinde redeundum est, ne ingenium profus hebescat. Quisquis autem ejusmodi argumentum ac talem materiam sibi proponat, quæ ingenio suo imprimis accommodata, & perquam conveniens est, ne frustra operam infumat & legentibus indignationem potius quam voluptatem moveat. Alias non est curquis miretur, si non quovis tempore parem scribendi facultatem sibi adesse sentiat, nam sæpe animus ita est turbatus curisque distractus ut nulla in re officium suum facere possit, nedum ut pariendis versibus idoneus videatur. Qua inre lubentissime diffunderem me, nisi injucundiora viro Clarissimo adponenda restarent. Ita enim legimus § 4. scripsisse, *Eqvites sive Patricios fuisse Patronos &c.* hem quid audio, eum, cui antiquitates Romanæ veniunt explicandæ, ordinem Eqvestrem cum Patricio ita commiscuisse, ut Patricium ac eqvestrem in unam retulerit classem. Jam primum omnium ipsi hoc satis debeat constare, universum Populum Romanum fuisse, quod ad gentem, distinctum in plebejos & patricos, quod ad ordinem, in senatorium, in eqvestrem & popularem. De quo Livius lib. XXVI. belli Punici commemorat: consensum senatus eqvester ordo est secutus, eqvestris ordinis plebs, hinc cecinit Aufonius: Martia Roma triplex, Eqvitu, plebe, senatu. Patricios enim appellitant eos, qui a patribus orti fuerunt, dixit etiam Livius patrum progeniem. In senatorium numerum poterant adscisci sive Patricii sive Eqvites, sive Plebeji. Poterat igitur Patricius fieri Eqves, sed non Eqves semper Patricius, nam generis antiquitatem nemo potest donare. Poterat plebejus fieri senator & Eqves, nec tamen Patricius. Ordinem eqvestrem, si spectamus, non intelligimus eum solum quem instituit Romulus, cum ex omni multitudine trecentos legeret, eosque Celeres nominaret, quive numerus Tarquinii Prisci tempore ad sexcentorum accreverit numerum, sed eos, quibus publicus eqvus & annulus à Censoribus datus, quique ab eis in eqvestrem ordinem lecti fuerunt. De quibus Varro lib. VII. Utebantur etiam angusta clave. Sed hoc animadvertendum est, Eqvites, quam primum magistratus capesserent, desisse Eqvites esse: Fuerunt autem de plebe omnes ii, qui neque eqvites erant, Patricii quidem, qui in senatum nondum lecti essent neque habent eqvestrem censum. Interea plebejus opponebat-  
Patricio & contra. Si plura, consulat vel Nieuport: Antiquit: Rom. Sedenim vero, jam novus videtur enasci error, cum §. 5. seriei temporum, historixque, Romanæ admodum negligens, nescio num ignarus audeat adferre: *Ciceronem fuisse Proconsulem Cilicix, idque non male;*

P. 9.

p. 10.

quare peracta tandem ad consularem pervenisse dignitatem, ubi Ciceroni multum curarum exantlandum fuerit, praesertim cum reprefferit factionem Catilinariam; perinde ac si bellum Catilinarium post Pro-Consularum gestum fuerit, cum tamen praeverit; ac si deinceps dignitas consularis secuta fuerit Pro-Consulatum. Sed enim, quum Tullius esset annorum quadraginta trium, quive annus haberetur maxime Consularis; factus fuit Consul, cum urbs Roma sterisset ad annos DCLXXXIX. Habuit autem sex competitores, quos inter praecipue hunc ambibant honorem L. Catilina & P. Galba, quod nec diffitetur Cicero pro Murena: Et enim mihi ipsi accidit, ut cum duobus Patriciis altero improbitissimo atque audacissimo altero modestissimo atque optimo Viro peterem, superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbum. Facto Consule habuit primam consularem orationem contra Rullum, cujus pars extat, in qua disputat contra ditionem rerum publicarum, emtionem agrorum & deditioem coloniarum, alteram de Lege Agraria &c. Quo amplissimo munere cum fungeretur, prudentia ac circumspectione sua id affecutus est ut Q. Catulus, imo Cato ipse Ciceronem patrem patriae appellarit. Is honor singularis ac fere patruus tandem ad Imperatores, quantum ego conjicio, migravit, innuente id Poeta Juvenali satyra 8. Roma parentem, Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit. In Ciliciam vero abiit jussu senatus a. u. DCCII. Redux vero factus domum a. u. c. DCCIV. quo tempore consules fuerunt L. Claudius Marcellus, L. Cornelius Lentulus Crus. Post Pro-Consulatum igitur tandem, prout Vir Clarissimus loquitur, non fuit factus Consul, quemadmodum ipse Cicero meminit, Lib XVI. epist. ad Fam. adventantem se incidisse in flammam discordiae civilis. Et sane ita est, ut superato Pompejo ac eo interemto, J. Caesar & Consul & dictator P. crearetur. Quid vero tandem dicam de Triumpho Ciceronis, de nummo in ipsum cuso, utrumne potuerit petere Triumphum? Cicero ambitiosus, ut nihil supra, summam arrogantiam ac factum sibi sumens, fere nihil visus est, praetermississe in libris suis, quod vel ad auctoritatem, vel dignitatem, famamque amplificandam pertinebat. Cogitet Vir Clarissimus, lectitetque illam epistolam scriptam ad Historicum L. Luccejum lib. v. 12. Epist. ad Famil. ibi conspiciet, Ciceronem sui praefatu & arrogantia esse oblitum, ut neque rusticus prope pudor eum deterruerit admonere historicum, quo leges Historiae, id est, veritatem transiret, bellumque Catilinarium exaggeraret. Jam vero cum constet victoriam a Parthis deportatam satis tenuem fuisse ac raram, id quod licet conjicere ex epist. ad Atticum lib. v. Epist. 20. scripta, ubi cum gestis suis ludit jocus, se quidem nominatum Imperatorem, sed Alexandrum fuisse Imperatorem haud paulo melio-

meliorem, quam Atticum & se ipsum. Siquis deinceps consideraret, in quo potissimum constiterit Triumphus  $\alpha$ ) in ordinaria ac usitata bellorum indictione  $\beta$ ) in internectione ac strage exercituum vel in victoria cruenta  $\gamma$ ) in deditione non repente facta, de qua re Agellius lib. v. c. 6. incredibile est, Ciceronem potuisse id ambire, quo famam macula-  
ret, seque coram senatu profcinderet. Nam Triumphum habere, qualem egit C. Marius Cæsar, aliique oppressis hostibus, erat honor pene divinitati conferendus, de quibus erudite Julius Bulengerus, qui omnia in unum corpus cœgit. Sed ovationem petere licuit Ciceroni, quam etiam indicat lib. XVI. 11. Epist. se ad urbem accessisse pridie Nonar. Januarii, sibi que obviam fuisse, ut nihil fieri potuerit ornatus. Cæterum id verum, fuisse Proconsuli supplicationes decretas lib. 8. epist. 11. ad famil.

Venio nunc à consulatu ad Patronatum & miror, qui potuerit vir Clarissimus adducere: *Patronos causarum gratis & sine pecunia operam exhibuisse clientibus* S. IV. Patronatus originem traxit suam, quemadmodum reliqua à Romulo, is enim, quo copula humana esset ac vinculum arctissimum inter optimates ac infimos, sancivit Patronatum, tutelam pauperum ac humilium, hisque addidit utrisque commoda necessaria. Nam sicuti Patronos oportebat clientibus respondere de jure, cujus illi quidem essent rudes, & absentium æque ac præsentium curam agere, facientes quicquid gratiæ parens filio poterat largiri, quod ad pecunias attinet & contractus, & sustinere accusatoris impetum, & ut compendio dicam, quietem eis, qua maxime opus haberent, parare à privatis publicisque negotiis; ita vicissim clientum erat Patronos juvare elocantes filias, si his parum esset pecuniæ, & ab hoste captivos redimere, vel ipsos vel eorum filios: privatarum quoque litium perditarum æstimationes, & multas publicas pecuniarias pro eis solvere, idque sumtu proprio. Nam oratores, etiam si non erant mercede conducti, id tamen  
nec gratis fecisse, largiendum est: erat enim mercedis species; quod ostendere videtur Poeta recens styli lascivi Eleg. 1. sæpe perorata percepit lite coronam, & data sunt linguæ præmia digna meæ. Jam equidem me non fugit, M. Cincium, plebescitum rogavisse, cujus primum caput, ne quis ob causam orandam donum munusve acceptaret, quo etiam valet argutum Parisiensis Advocati dictum.

Nulla hic Paschasio manus est, lex Cincia quippe

Causidicos nullas finxit habere manus, vid. Amelot. de la Houffaise ad lib. 13. Annal. Taciti c. 46. neque vero ignoro, Augustum Imperatorem, prout erat in liberalitatem ac munificentiam pronus, inhibuisse Patronis, nequid pecuniæ à clientibus exigent: interea reliquis temporibus

ribus imprimis Claudii temperatum ita fuit ut postea liceret Patrono accipere centum aureos, Et sane quoniam honorarii veniebat nomine, re ipsa tamen mercedis instar erat. Imo Calendis Januariis convalescebant munuscula offerre Patronis, quo sensu Calphurnius Flaccus Declam. 4. exclamavit: beneficium hereditatis filio datur, patrono redditur. Insuper privato clientes nomine, statuas, patronis, suis sumptibus privatis erigi curabant collocarique. Supra aliquid de Poëta dictum fuit, jam necesse est ut faciamus mentionem Virgilio, qui, etsi Homero non par tamen nec inferior habebatur. Clarissimus auctor, nescio num in hoc errarit, nunve diversum intellexerit. § 6. adducendo: *Virgilium prædis sua juxta Mantuam satis angusta habuisse, accidisse vero cum eo, ut, cum milites veterans ipsum sedibus expulissent suis, Poëta in gratiam Augusti pervenerit Mæcenatis ope.* Sed enim vero, si originem ac stirpem Virgilio consideremus, constat à parentibus modicis eum prognatum tantum abuisse ut locuples fuerit, ut potius fingendo testas panem quæsierit ipsus parens. Est vero is Cnejo Pompejo cons. natus & cum paulo ætate proficeret, gener præfecit puerum gregi ac rei rusticæ. Variant in hoc multum multumque Critici. Non pauci sunt, quos hæc fert opinio: Virgilium studio Medicinæ in aulam Augusti intrasse. Nec id adeo male, cum Cremonæ Mediolani, Neapolis arti Medicinæ indulserit adeo ut nactus sit patronum magistrum equorum stabuli Augusti, ubi multos variosque morbos incidentes equis feliciter curavisse ajunt. Sed ego in ea re potissimum credo Vosho, Heinso Daumio aliisque, qui existimant, scripta amorem Cæsaris conciliasse Virgilio: Quis enim est, quem fugiat? Poetæ ingenium & studia nec displicuisse Ciceroni ut (cum quosdam versus audisset & statim acri judicio intellexisset non communi vena editos jussit ab initio totam recitari Eclogam verbis his usus

Magnæ spes altera Romæ,

Quæ quidem verba legimus, fuisse Aneidi inserta. Interea illud palam est, tenui principio usum Virgilium nec prædis opulentum fuisse. Et sane, si tandem possederit agros ad Mantuam, poterit ex his facile conjici, eos postea adeptum esse Virgilium, cum jam in gratiam inisset Cæsaris. Ad extremum neque hoc prætereundum existimo, Clarissimum Virum §. VI. de Cæsare facientem verba, recte ac judiciose pronuntiasse *Cæsarem Monarchia fundamenta jecisse, quavis valde mihi displicuerit §. 5. in factione Cæsariana Ciceronem secutum*

P. 15. *fuisse partes meliores.* Profecto ea historiarum lectio meum animum semper affectit ingenti tristitia, quod bellum illud, quo nihil funestius auditum est, præstantissimos viros ac ferme nobilitatis Romanæ florem deleverit. Licet vero inficiandum haud sit, æmulationem invidiamque J. Cæsaris & C. Pompeji, teste Paterculo, oleum flammæ civili instillasse, ut cum Pompejus opibus Cæsaris invaderet, Cæsar honoribus ac Triumphis Pompeji: Attamen fatendum est, Ciceronem tum temporis in consiliis varium, misis huc & illuc literis confusus, animos sua sponte incensos odio magis magisque inflammasse. Certe in hoc meliores partes non secutus est Cicero, quod auctor una cum reliquis extiterit Pompejo, ne ad Cæsarem ex Helvetia gloriose redeuntem consulatus deferretur quum tamen proximus honori esset. Nam quavis Cicero Amnestiam seu oblivionem offensum vellet sancire: intendebat tamen sic infringere Cæsaris potentiam, ne consularem dignitatem capefferet Cæsar. Imo Victor Julius injuste fuit interfectus, magistratu publico decreto illi permisso, quo senatus simul sanxerat eum inviolabilem.

Et nec Ciceronem cædis illius expertem extitisse, si non ex hoc, quod instigarit Brutum ad rempublicam liberandam, nominavitque in officiis Julium Tyrannum, inde tamen constaret: Deum ipsum ad pœnam terribilemque supplicium non ita multo post Cæsaris necem rapuisse Tullium sociosque. Quoquidem eluxit quantæ calamitati soleat esse, magistratum opprimere, quem tamen Deus per senatus consultum decreverat. Hæc sunt quæ animadvertenda duxi, de cæteris ac potissimum de stylo cuius liberum judicium esto, cum vel ipse promiserit,

P. 16. *velle se vernaculo sermone hæc copiosius exponere.*


Cæterum ex animo gratulor Viro Clarissimo Doctissimoque de statione satis ampla impetrata, omnemque ipsi prosperitatem apprecor.

Tantum nunc.

1618

1618





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

OK. 371

Ze  
3400

Imbecillitatem  
**SCHOETTGENIO**  
Humanam  
in  
Commentatiuncula seu  
schedula scholastica  
obviam  
ostendere sategit M. Canitius.  
gedruckt in Halle.

